*acquirit cognitionem sui obiecti.* Et ideo Deus, angeli et animae separatae, quum non deveniant ad cognitionem rerum materialium, mediantibus sensibus, *directe* intelligunt singularia non solum spiritualia sed etiam materialia, quae quamvis immaterialiter tamen adaequate cognoscunt. Rationes afferuntur a S. Thoma (1. p. q. 14. art. 11. q. 57. art. 2. q. 89. art. 4. et locis parallelis, quae conferenda et meditanda sunt). Potior autem ratio huc redit.

In intellectu practico praeexistit intelligibiliter secundum typum seu similitudinem praeconceptam quidquid ab intellectuali agente causatur vel causari potest. Iamvero quidquid quocumque modo habet rationem entis causari potest a supremo intellectuali agente, qui est Deus. Ergo quidquid quocumque modo habet rationem entis (sive sint formae per se subsistentes, sive sint corpora, sive sint eorum constitutiva et accidentia) praeexistit intelligibiliter i. e. secundum esse intentionale in Divino Intellectu. Ergo Deus *directe* intelligit singularia etiam materialia, quae in eo sunt *actu intelligibilia* secundum totam rationem suae entitatis usque ad ultima accidentia. Neque obest Essentiam Divinam esse infinite perfectiorem re materiali, quae intentionaliter est in eius intellectu. Nam ad cognitionem non requiritur similitudo conformitatis in natura i. e. secundum esse reale, sed similitudo repraesentationis i. e. secundum esse intentionale. *Cognitum enim est in cognoscente ad modum cognoscentis.* Et ideo entia cognoscitiva superiora possunt perfecte et comprehensive cognoscere inferiora. Haec autem etsi cognoscitiva sint, nequeunt perfecte et comprehensive superiora cognoscere.

Circa cognitionem, quam angeli et animae separatae directe habent de singularibus materialibus, valet proportionaliter eadem ratio. Nam species intelligibiles rerum materialium non accipiunt per abstractionem a phantasmatibus, sed immediate a Deo.

# QUAESTIO XXV.

## DE ORIGINE IDEARUM.

### PRAENOTIONES.

177. Quum in Quaestione 24. demonstratum a nobis fuerit quodnam sit obiectum proprium nostri intellectus, et quomodo hic se habeat tum ad cognitionem singularium materialium, tum ad cognitionem eorum, quae ipsum transcendunt, inquirendum superest quaenam sit causa efficiens specierum impressarum in nostro intellectu possibili. Quam quaestionem Moderni vocant *de origine idearum.* Doctrinam S. Thomae, qui hac de re agit in Summa Theologiae 1. Parte Quaestion. 79. a. 3. QQ. 84. et 85. atque in locis parallelis, fideliter sequemur.



Eius enim doctrina, quemadmodum in caeteris quaestionibus, ita etiam in praesenti oppositos devitat scopulos, nempe tum errorem eorum, qui asserunt *causam adaequatam* speciei impressae esse res sensibiles, tum errorem eorum, qui autumant huiusmodi species esse nobis innatas, seu naturaliter inditas. Ad hanc duplicem errorum classem tamquam ad summa capita facile reducuntur falsa systemata de origine idearum. Ad primam enim reducuntur Materialistae omnes, duce Democrito; Sensistae puri, ducibus Lokio et Condillachio; Sensistae mitigati, duce Laromiguerio; et Positivistae, duce Augusto Compte. Ad secundam vero, praeeunte Platone, facile reducuntur Cartesiani, Leibnitiani, Wolfiani et Rosminiani.

## THESIS XLIX.

**Res sensibiles nequeunt esse causa efficiens adaequata neque principalis speciei intellectivae impressae.**

### PROBATUR.

178. Ad hoc ut res sensibiles causarent in intellectum nostrum speciem impressam tamquam causa adaequata vel principalis, hic deberet esse facultas organica, quae pati posset passione proprie dicta, saltem per accidens, nempe ratione organi quod informaret ad constituendum cum eo unicum principium operationis cognoscitivae. Atqui intellectus noster est facultas inorganica seu stricto sensu immaterialis. Ergo res sensibiles nequeunt esse causa adaequata neque principium speciei impressae. *Maior* constat ex eo quod res sensibiles agunt per motum stricte dictum atque per virtutes corporeas alligatas conditionibus materialibus. Quapropter non sunt agentia proportionata ad patiens immateriale. *Minor* constat ex demonstratis in Thes. 45. Ergo stat consequentia (1).

Obiectiones reducuntur ad eas quae allatae sunt atque solutae sub nn. 145. et 169.

## THESIS L.

**Species intellectivae, seu ideae, non sunt innatae in nostro intellectu.**

### PROBATUR.

179. I. Si formae intelligibiles rerum essent nobis naturaliter inditae, deberet intellectus noster independenter a praevia cognitione sensili eas vel actu intelligere vel saltem habitu ita ut possit ad libitum se

(1) Cfr. 1. p. q. 84. a. 6.

applicare ad eas actu intelligendas. Forma enim est principium actionis, quam quae potentia possidet, vel actu agit, vel cum libuerit. Atqui neutrum contingit in nobis, et ideo qui carent aliquo sensu, puta visu, nunquam perveniunt ad intelligenda sensibilia propria talis sensus, puta colores. Ergo formae intelligibiles rerum nequaquam sunt nobis naturaliter inditae.

II. Si dicatur esse *in potentia essentiali* ad aliquam formam operativam facultas, quae omnino eâ formâ caret, dicatur autem esse *in potentia accidentali* ad aliquam formam operativam facultas, quae eam formam possidet, ita ut ea uti possit, quamvis actu non utatur, sive quia nolit ea uti, sive quia ab extrinseco impediatur, plene assequemur vim argumenti S. Thomae, qui (1) haec habet: « Respondeo dicendum « quod cum forma sit principium actionis, oportet ut eo modo se ha- « beat aliquid ad formam, quae est actionis principium, quo se habet « ad actionem illam... Videmus autem quod homo est quandoque co- « gnoscens in potentia tantum, tam secundum sensum, quam secundum « intellectum. Et de tali potentia in actum reducitur, ut sentiat qui- « dem, per actiones sensibilium in sensum: ut intelligat autem, per « disciplinam, aut inventionem. Unde oportet dicere, quod anima co- « gnoscitiva sit in potentia tam ad similitudines (seu species sensiles), « quae sunt principia sentiendi, quam ad similitudines (seu species « intelligibiles), quae sunt principia intelligendi. Et propter hoc Ari- « stoteles (loc. cit.) posuit quod intellectus, quo anima intelligit, non « habet aliquas species naturaliter inditas, sed est in principio in po- « tentia (essentiali) ad huiusmodi species omnes. »

III. *Effugium Platonis propositum a S. Thoma:* « Sed quia id quod « habet actu formam interdum non potest agere secundum formam « propter aliquod impedimentum (sicut leve, si impediatur sursum « ferri), propter hoc Plato posuit quod intellectus hominis naturaliter « est plenus omnibus speciebus intelligibilibus, sed per unionem cor- « poris impeditur, ne possit in actum exire ».

*Solutio obiectionis.* « Sed hoc non videtur convenienter dictum: primo « quidem, quia si habet anima naturalem notitiam omnium, non videtur « esse possibile, quod huius notitiae tantam oblivionem capiat, quod « nesciat se huiusmodi scientiam habere. Nullus enim homo obliviscitur « ea, quae naturaliter cognoscit, sicut quod omne totum sit maius sua « parte, et alia huiusmodi. Praecipue autem hoc videtur esse inconve- « niens, si ponatur esse animae naturale corpori uniri, ut supra habitum « est (q. LXXVI. art. 1.). Inconveniens enim est quod naturalis ope- « ratio alicuius rei totaliter impediatur per id quod est sibi secundum « naturam.

---

(1) 1. p. q. 84. a. 3.



« Secundo manifeste apparet huius positionis falsitas ex hoc quod « deficiente aliquo sensu deficit scientia eorum, quae apprehenduntur « secundum illum sensum: sicut caecus natus nullam potest habere « notitiam de coloribus; quod non esset, si intellectui animae essent « naturaliter inditae omnium intelligibilium rationes. Et ideo dicendum « quod anima non cognoscit corporalia per species naturaliter inditas ».

IV. *Iisdem rationibus quibus opinio Platonis refutatur, reiicitur etiam opinio Avicennae* ponentis formas intelligibiles causari in nostro intellectu ab intellectibus separatis, idest a substantiis quibusdam pure spiritualibus subsistentibus, hoc quidem ordine ut a supremo intellectu deriventur huiusmodi species in sequentem et sic gradatim usque ad ultimum intellectum separatum, quem Avicenna vocat *intellectum agentem,* a quo immediate effluunt species quidem intelligibiles in animas nostras, et formae sensibiles in materiam corpoream. Haec opinio refutatur a S. Thoma in 1. p. q. 84. a. 4. Eius argumentatio huc redit: Quum unio animae rationalis cum corpore sit naturalis, esse debet ei necessaria ad ipsam operationem intellectivam, quae est ei maxime propria. Iamvero si anima reciperet species ab intellectu separato, et non mediantibus sensibus per abstractionem a phantasmatibus, esset inutilis eius unio cum corpore. Ergo falsa est opinio Avicennae. Quod si dicas animam per sensus excitari, ut se convertat ad intellectum separatum ad recipiendas species intelligibiles, respondemus hoc non solum gratis asseri; sed etiam *a)* contra rerum naturam, quia anima ex inclinatione naturali converti deberet ad intellectum separatum independenter ab excitatione sensuum, et *b)* contra experientiam, quia anima coeci nati ex. gr. excitata per sensum auditus ad convertendum se ad intellectum separatum, deberet ab eo recipere etiam species intelligibiles colorum: atqui eas non recipit. Ergo opinio Avicennae est omnino reiicienda.

V. *S. Thomas in art. 2. eiusd. quaest. refutat opinionem eorum, qui asserebant animam intelligere omnia per essentiam suam.* Quae opinio, cui affinis est opinio Cartesii asserentis animae essentiam consistere in cogitatione, non solum repugnat experientiae, quia anima deberet semper esse in actu cogitandi, quum semper habeat suam essentiam, sed etiam repugnat rectae rationi. Nam quum actio importet puram perfectionem, tantum illa essentia potest esse sua actio, quae est suum esse nempe Essentia Divina. Insuper quum ad cognitionem requiratur immaterialitas, et quo natura cognoscitiva sit immaterialior eo sit perfectius cognoscitiva et plura distincte cognoscat, (ut demonstravimus in Thes. 35.); sequitur illud tantum ens posse per essentiam suam omnia cognoscere, cuius essentia est in summo gradu immaterialitatis, quale est solus Deus qui est actus purissimus subsistens. Quae conclusio stat etiam si agatur tantum de cognitione omnium corporum quae sunt potentialiter infinita quoad species et individua.

### OBIECTIONES.

180. **Obiect. 1ª.** *(Cartesii)* Intellectus antequam speciem efformet, aut cognoscit rem specie repraesentatam, aut ignorat. Non primum quippe cognosceret, antequam haberet speciem: non secundum, nam efformaret speciem rei incognitae. Ergo origo idearum explicanda est per ideas innatas.

**Resp.** Eligo secundum membrum disiunctivae *et Nego suppositum*, nempe *nego* omnem operationem intellectus esse *formaliter cognoscitivam*. Etenim operatio intellectus agentis quae abstrahit species a phantasmatibus est tantum *efficienter cognoscitiva*. Insuper Cartesius confundit intellectum speculativum cum intellectu practico.

**Obiect. 2ª.** *(Rosminii)* In omni iudicio requiritur idea universalis. Sed ad ideam universalem acquirendam requiritur iudicium. Ergo ne procedamus in infinitum, admittere debemus aliquam ideam universalem innatam.

**Resp.** *Concedo maiorem et Nego minorem.* Nam ad ideas universales habendas sufficit *abstractio per modum simplicitatis* et nullo modo requiritur *abstractio per modum compositionis* et *divisionis*. De qua duplici abstractione loquuti sumus in Logica Mai. (nn. 167. et seqq.). Systema Rosminii falso innititur fundamento, nempe nostras cognitiones inchoari a synthesi. Nam anima humana procedit ab imperfecto ad perfectum, nempe a simplici apprehensione procedit ad iudicia immediata, a quibus per ratiocinium procedit ad iudicia mediata seu ad conclusiones. Quapropter nostra cognitio non a *synthesi*, sed ab *analysi* inchoatur.

**Obiect. 3ª.** Homo antequam discat scientiam, amat eam. Atqui quod ignoratur, non amatur. Ergo homo habet ideas ingenitas scientiarum.

**Resp.** *Dist. mai.* Homo antequam *distincte* cognoscat conclusiones alicuius scientiae, amat eam, *Conc.* antequam *confuse* cognoscat rationem scientiae eiusque utilitatem, amat eam, *Nego. Contrad. min.* quod prorsus ignoratur, non amatur, *Conc.* quod aliqualiter ignoratur, *confuse* tamen cognoscitur, non amatur, *Nego.*

**Obiect. 4ª.** *(Platonis)* Idiota aliquis non habens scientiam acquisitam, respondet verum de singulis, si ordinate interrogetur. Ergo autequam aliquis acquirat scientiam, habet rerum cognitionem, ac proinde ideas innatas.

**Resp.** *Dist. antec.* Idiota respondet verum, quia ordinata interrogatio generat in eo scientiam, *Conc.* quia scientiam in eo praesupponit, *Nego* (1).

---

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 84. a. 3. ad 3.



**Obiect. 5ª.** Intelligere est commune angelis et hominibus. Sed angeli intelligunt per ideas innatas. Ergo et homines.

**Resp.** *Dist. mai.* In diverso gradu perfectionis, *Conc.* in eodem gradu perfectionis, *Nego. Conc. min. Nego cons.*

**Obiect. 6ª.** Intellectus humanus absque ideis innatis esset potentia sine actu. Atqui repugnat dari potentiam sine actu. Ergo intellectus humanus habet ideas innatas.

**Resp.** *Dist. mai.* Esset pura potentia subiectiva sine actu, *Nego;* esset potentia operativa passiva sine actu, *subdist.* sine actu operativo, *Conc.* sine actu essentiae et existentiae, *Nego.* Adversarii perperam confundunt puram potentiam subiectivam cum potentiis operativis. Prima indiget actu primo formali, ut compositum resultans recipere possit esse existentiae; hae autem iam habent suam essentiam et existentiam (eo modo quo accidentia habere ea possunt); attamen ad hoc ut eliciant suam operationem indigent habere vel *formam determinantem*, si sint potentiae passivae, vel *materiam circa quam operentur, si sint potentiae activae.*

## THESIS LI.

**Ad speciem impressam in intellectum possibilem causandam duplex causa concurrit una principalis nempe intellectus agens, alia instrumentalis nempe phantasma, ex quibus resultat unicum principium adaequatum effectivum speciei impressae.**

### PRAENOTIONES.

181. I. **Intellectus possibilis et intellectus agens.** Intelligere humanum quod formaliter unicum est, praesupponit duplicem actionem in virtute intellectiva, quae actiones quum sint formaliter diversae procedunt a virtutibus seu facultatibus formaliter diversis, quarum *a)* una quae *determinatur a specie impressa* et elicit formalem actum intellectionis vocatur *intellectus possibilis* seu *potentialis* eo quod sit potentia operativa *passiva* atque definiri potest ex S. Thoma (1): *facultas animae humanae, quae recipit formas a sensibilibus per lumen intellectus agentis abstractas atque elicit formalem actum intellectionis; b)* altera quae efficienter abstrahendo a phantasmate quidditatem rei materialis causat in intellectum possibilem speciem impressam, vocatur *intellectus agens* eo quod sit *potentia operativa activa,* atque ex eodem S. Thoma l. c. definiri potest: *facultas animae efficiens formas sensibilium intelligibiles*

---

(1) QQ. dd. de Verit. q. 10. n. 7.

*actu per abstractionem a phantasmatibus.* « Duorum intellectuum, sci-« licet possibilis et agentis, sunt duae actiones. Nam actus *intellectus* « *possibilis* est recipere intelligibilia; actio autem *intellectus agentis* est « abstrahere intelligibilia. Nec tamen sequitur quod sit duplex intelli-« gere in homine: quia ad *unum intelligere* oportet quod utraque ista-« rum actionum concurrat » (1).

II. **Necessitas admittendi intellectum agentem** ratiocinio demonstratur a posteriori, atque difficultates, quae ab adversariis obiiciuntur, solutionem habent. Attamen sedulo cavendum est, ne imaginatione decepti, demonstrationem parvipendamus eo quod specie quadam sensibili intueri non valeamus id, quod tantum ratiocinio colligi potest.

III. **Illuminatio phantasmatum** per intellectum agentem importat virtutem collatam phantasmati ab intellectu agente ipsum adsumente ut instrumentum ad causandam speciem impressam in intellectu possibili. Dividitur in *illuminationem in actu primo* et *illuminationem in actu secundo.*

IV. **Illuminatio in actu primo** est ipsa coniunctio phantasmatis cum intellectu agente in eodem subiecto. De qua illuminatione ita loquitur S. Thomas (2): « Illuminantur quidem (phantasmata), quia sicut pars « sensitiva ex coniunctione ad intellectum efficitur virtuosior ita phan-« tasmata ex virtute intellectus agentis redduntur *habilia* ut ab eis « intentiones intelligibiles abstrahantur (non formaliter sed *efficienter*)».

V. **Illuminatio in actu secundo** est ipse actualis influxus intellectus agentis in phantasmata ipsa movens et elevans tamquam instrumenta ad causationem speciei impressae in intellectu possibili.

VI. **Distingue abstractionem secundum efficientiam ab abstractione secundum considerationem.** Haec est ipsa rei similitudo abstracta a notis individualibus, quae ab intellectu possibili consideratur in *specie expressa* seu *verbo.* Prima est ipsa operatio intellectus agentis causantis in intellectu possibili cum instrumentali concursu phantasmatis *speciem impressam* quae in eodem intellectu possibili subiectatur a cuius passiva potentia educitur. Perperam igitur quis existimaret abstractionem intellectus agentis esse operationem translativam formae quae est in phantasia in intellectum possibilem, sicuti transferretur candela ex uno in alium cubiculum. Id enim non solum repugnat materialitati formae quae est in phantasia ac proinde nequit subiectari in potentia stricte immateriali, sed etiam repugnat ex eo quod numquam eadem numerice forma quae est in agente sive principali sive instrumentali transit de agente in patiens: sic stultum esset aestimare eamdem numerice figuram quae est in sigillo transferri per virtutem sigillantis in ceram sigillatam.

(1) S. Th. qq. dd. de Anima a. 4. ad 8.
(2) 1. p. q. 85. a. 1. ad 4.



## PROBATUR PRIMA PARS.

*Causa efficiens principalis speciei impressae, seu causa formae intelligibilis est intellectus agens, nempe virtus immaterialis activa animae illuminativa phantasmatum.*

182. Refutatis systematibus idearum innatarum, necesse est asserere aut sensibilia exteriora, aut sensationes, aut virtutem immaterialem activam extrinsecam animae, aut virtutem immaterialem activam animae intrinsecam causare in intellectu possibili similitudines immateriales quidditatum sensibilium. Atqui primum et secundum reiiciuntur ob rationes in superioribus allatas, videlicet quia materialia nequeunt propria virtute agere in potentiam immaterialem, quum potentiae passivae respondere debeat potentia activa eiusdem ordinis. Tertium repugnat *ipsi experientiae* « qua percipimus nos abstrahere formas « universales a conditionibus particularibus, quod est facere actu in-« telligibilia. Nulla autem actio convenit alicui rei, nisi per aliquod « principium formaliter ei inhaerens », ut ait S. Thomas (1). Insuper non congruit naturali rerum ordini. « Nam (ut ait ibidem ipse Angelicus « Doctor) in rebus naturalibus perfectis praeter universales causas « agentes sunt propriae virtutes inditae singulis rebus perfectis ab « universalibus agentibus derivatae ». Ergo remanet quartum, nempe virtutem immaterialem activam animae intrinsecam causare in intellectu possibili similitudines immateriales quidditatum sensibilium, quam virtutem seu facultatem vocamus cum Aristotele et S. Thoma *intellectum agentem.*

## PROBATUR SECUNDA PARS.

*Causa efficiens instrumentalis, quae praebet materiam seu obiectum causae principali est phantasma.*

183. I. Quum intellectus agens sit virtus immaterialis ad speciem intelligibilem quidditatis rei materialis in intellectu possibili causandam ordinata, per hoc quod sub influxu virtutis suae *intelligibilia in potentia* evadant *intelligibilia in actu;* necesse est ut in ea facultate sensitiva inveniat intelligibilia in potentia, quae repraesentare possit omnia sensibilia, etiam in eorum absentia, quaeque proinde, utpote nobilissima inter facultates sensitivas, sit proximior intellectui. Supremum enim ordinis inferioris infimum superioris ordinis attingit. Iamvero haec facultas est phantasia, eiusque repraesentationes sensibiles sunt phantasmata, in quae dum virtute sua illuminativa influit intel-

(1) 1. p. q. 79. a. 4.

lectus agens, efficit ut in eis *active* refulgeat absque conditionibus materialibus quidditas rei materialis, quam conditionibus materialibus alligatam repraesentant. Atque ita phantasmata praebendo intellectui agenti materiam sui obiecti, inserviunt ei quasi instrumenta ad causandam speciem intelligibilem in intellectu possibili, et concurrunt ad constituendam causam efficientem adaequatam speciei impressae.

II. Ad hoc ut intellectus possibilis recipiat ab intellectu agente determinationem repraesentativam alicuius quidditatis rei materialis abstractae a notis individualibus, puta *arboris, leonis, hominis ;* necesse est ut intellectus agens sit determinatus ad unam potius quam ad aliam causandam. Atqui intellectus agens ex se non est determinatus ad ullam. Ergo necesse est ut eam inveniat efficienter abstrahibilem in tali facultate interiori cognoscitiva, quae quidditatem rei materialis alligatam conditionibus materialibus et a sensibus exterioribus receptam ita repraesentet, ut sit proxime abstrahibilis. Atqui talis facultas est phantasia, quae est facultas sensilis interior *percipiens sensationes et sensata sensuum externorum in eorum absentia* (cfr. n. 156.) quaeque est in maximo spiritualitatis improprie dictae gradu, ac proinde tamquam supremum ordinis inferioris immediate attingit infimum omnium intellectuum, nempe intellectum humanum cum quo coniungitur et continuatur in eadem anima. Ergo intellectus agens ad quidditatem aliquam efficienter abstrahendam determinatur a phantasmate non quidem tamquam *a motore potentiae* sed tamquam a *materia sui actus.* Sic enim competit potentiae activae determinari ad agendum a materiis circa quas agit.

**Exemplum.** Ad aliqualem intellectionem efficientiae instrumentalis, quae competit phantasmati in productione speciei impressae in intellectu possibili, consideremus modum quo corpus aliquod opacum, ex. gr. luna, concurrit sub influxu lucis solaris ad determinandam in nostra potentia visiva visionem sui. Causa principalis efficiens, vi cuius nostra potentia visiva ad visionis actum eliciendum determinatur, est lux solis. Causa autem cur nostra visio determinetur a luce solari potius ad lunam quam ad aliud corpus opacum videndum est ipsa luna; ita ut quamvis luna, cum sit corpus opacum nequeat virtute propria causare in facultate visiva speciem impressam repraesentativam sui; tamen virtute lucis solaris elevatur ad hanc speciem secundario et instrumentaliter concausandam, praebendo *materiam obiecti* causae principali.

184. **Corollarium 1.** Ex hac duplici causalitate, principali quidem intellectus agentis, secundaria autem et instrumentali phantasmatis et ex dictis in Praenotandis, praesertim sub n. VI., apparet quomodo eorum effectus communis, qui est *species impressa* 1° non subiectetur neque in intellectu agente neque in phantasia, sed solum in intellectu possibili, de cuius potentia educitur; 2° quomodo participet de conditione utriusque causae; quatenus enim causatur virtute intellectus agentis, species expressa est *aliquid actu intelligibile,* quatenus autem procedit a virtute intellectus agentis *mediante phantasmate tamquam instrumento,* species impressa evadit similitudo illius quidditatis, quam phantasma individuatam repraesentabat. Audiatur hac in re S. Thomas (1): « Dicendum quod in receptione qua intellectus possibilis species rerum « accipit a phantasmatibus, se habent phantasmata ut agens instru- « mentale et secundarium, intellectus vero agens ut agens principale « et primum; et ideo actionis effectus relinquitur in intellectu possibili « secundum conditionem utriusque, et non secundum conditionem al- « terius tantum; et ideo intellectus possibilis recipit formas ut intel- « ligibiles actu ex virtute intellectus agentis, sed ut similitudines « determinatarum rerum (puta leonis, arboris, lapidis) ex cognitione « phantasmatum, et sic formae intelligibiles in actu non sunt per se « existentes neque in phantasia, neque in intellectu agente, sed solum « in intellectu possibili ».



**Corollarium 2.** *Scientia mentis nostrae partim est ab intrinseco partim ab extrinseco.* Haec veritas dilucide a S. Thoma (l. c. in corp. artic.) declaratur post expositas et refutatas opiniones adversariorum.

**Corollarium 3.** *De nobilitate phantasmatis relate ad intellectum possibilem.* Quum phantasma passive se habeat relate ad intellectum agentem, active instrumentaliter relate ad intellectum possibilem, potest dici *secundum quid nobilius* intellectu possibili, licet *simpliciter* loquendo sit eo inferius. Ideo S. Thomas ait (2): « Quamvis intellectus « possibilis sit simpliciter nobilior quam phantasma, tamen secundum « quid nihil prohibet phantasma nobilius esse; in quantum scilicet « phantasma est actu similitudo talis rei, quod intellectui non convenit « nisi in potentia et sic quodammodo potest agere in intellectum pos- « sibilem virtute luminis intellectus agentis, sicut et color potest agere « in visum virtute luminis corporalis. »

## OBIECTIONES.

185. **Obiect. 1ª.** Si intellectus agens ageret in phantasma, deberet *a)* illud immutare; *b)* educere de eius potentia speciem intelligibilem; *c)* abstrahere aliquid ab eo. Atqui haec omnia repugnant, quia phantasma essentialiter alligatur conditionibus materiae individualis. Ergo vel non datur vel non agit in phantasma.

**Resp.** *Dist. maiorem quoad* 1ᵘᵐ: intellectus agens deberet immutare phantasma *entitative* i. e. de materiali faciens illud immateriale, *Nego;*

---

(1) QQ. dd. de Verit. q. 10. a. 6. ad 7.
(2) QQ. dd. de Verit. q. 10. a. 6. ad 8.

immutare *instrumentaliter*, coniungendo illud suae virtuti, *Conc. Quoad* 2.um *Dist.* educeret speciem intelligibilem de potentia *subiectiva* phantasmatis, *Nego;* de potentia *activa instrumentali*, *Conc. Quoad* 3.um abstraheret a phantasmate per modum considerationis, *Nego;* per modum efficientiae, *Conc. Dist. min.* et *nego conseq.*

**Obiect. 2ª.** Causalitas instrumentalis phantasmatis erga intellectum possibilem repugnat. Nam 1° Materiale nequit agere in immateriale, 2° elevatio phantasmatis vel aliquid ponit in phantasmate, vel nihil: si nihil, frustra est; si aliquid, hoc vel est accidens spirituale, vel materiale; primum repugnat phantasiae, nam accidens spirituale nequit subiectari in potentia materiali; secundum repugnat intellectui possibili; nam virtus materialis ex additione materialis accidentis nequit evadere apta ad agendum in subiectum immateriale.

**Resp. ad** 1um. Materiale nequit *propria virtute* agere in immateriale, *Conc.* sub influxu virtutis immaterialis, cui deservit praebendo *materiam obiecti, Nego; — Ad* 2um *distinguo.* Elevatio nihil ponit in phantasmate *permanenter* et ad modum accidentis completi, *Conc.* Nihil ponit *transeunter*, scilicet per modum motus seu accidentis incompleti, *Nego. Dist. rat. addit.* accidens seu virtus spiritualis non potest subiectari in re materiali *permanenter* et ad modum accidentis completi, *Conc. transeunter* per modum motus seu accidentis incompleti, *Nego* et *nego conseq.* Nam virtus agentis principalis, quae transit per phantasma, utpote immaterialis, est proportionata ad movendum intellectum possibilem. Simili quodam modo radii luminosi candelae transeuntes per globum vitreum rubrum determinant in oculo visionem rubri coloris. Audi S. Thomam (1): « Instrumentum non operatur nisi in quantum « est motum a principali agente, quod per se operatur; et ideo virtus « principalis agentis habet *permanens* et *completum esse* in natura; « virtus autem instrumentalis habet esse *transiens* ex uno in aliud, et « incompletum; sicut et motus est actus imperfectus ab agente in « patiens.

« Ad primum ergo dicendum, quod virtus spiritualis non potest « esse in re corporea per modum virtutis permanentis et completae. « Nihil tamen prohibet in corpore esse virtutem spiritualem instrumen- « taliter, in quantum scilicet corpus potest moveri ab aliqua substantia « spirituali ad aliquem effectum spiritualem inducendum » (2).

**Quaerenti,** *an virtus phantasmatis sub influxu intellectus agentis dici possit corporea vel incorporea?* **Respondebis** « quod virtus illa neque « potest dici corporea neque incorporea, proprie loquendo; corporeum « enim et incorporeum sunt differentiae entis completi, sed proprie « dicitur virtus *ad incorporeum*, sicut motus magis dicitur *ad ens*

(1) 3. p. q. 62. a. 4. in corp. et ad 1.
(2) Cfr. qq. dd. de Verit. q. 27. a. 4. ad 4. 6. 7. 8.



« quam ens: obiectio autem procedit ac si ista virtus esset quaedam « forma completa (qq. dd. de Verit. l. c. ad 5.) ».

Quae in locis citatis ait S. Thomas occasione demonstrandae causalitatis Sacramentorum, multo magis valent de phantasmate, quod est ex se in supremo gradu illius immaterialitatis latiori sensu dictae quae requiritur ad sensiles operationes quodque in phantasia humana quae radicatur in anima intellectiva et ordinatur ad serviendum intellectui, attingit supremum gradum sensitivae immaterialitatis (cfr. n. 183.).

**Obiect. 3ª.** Phantasma se haberet ut exemplar relate ad intellectum agentem, ut hic ad eius normam causaret speciem in intellectu possibili. Atqui exemplar debet cognosci. Ergo vel causalitas phantasmatis nulla est, vel redundat intellectus agens.

**Resp.** *Dist. mai.* Si intellectus agens esset formaliter cognoscitivus, *Conc.* (sed *nego suppositum*, quia causalitas phantasmatis non est exemplaris). Si intellectus agens est tantum *efficienter* cognoscitivus, *Nego. Conc. min.* et *nego conseq.* Nam phantasma se habet ut instrumentum elevandum ad hoc ut per efficientiam obiectivam concurrat ad causandam speciem intelligibilem. Id autem ab eo praestatur, quum virtute transeunte intellectus agentis, quidditas, quam individuatam referebat phantasma, incipit ad modum cuiusdam motus habere relucentiam in phantasmate absque impedimento conditionum individualis materiae.

Dixi causalitatem phantasmatis non esse exemplarem ne quidem relate ad intellectum formaliter cognoscitivum, cuiusmodi est intellectus possibilis. Nam, nisi velimus verborum significationem funditus evertere, *exemplar est aliquid, quod praesupponitur iam actu cognitum* antequam suum influxum exercere incipiat. Hic autem agimus de principiis activis quae nos determinant ad cognitionem perficiendam, quaeque praecedunt actum formalis cognitionis. Quapropter repugnat ut phantasma, quod est instrumentum sub influxu intellectus agentis causativum speciei impressae, se habeat ut aliquid cognitum antequam species expressa ab intellectu possibili producatur.

**Obiect. 4ª.** Omnis actio intellectiva est intellectio. Sed actio intellectus agentis non est intellectio. Ergo non datur intellectus agens.

**Resp.** *Dist. mai.* Omnis actio intellectiva vel est intellectio *formaliter*, vel est intellectio *efficienter*, *Conc.* est intellectio tantum *formaliter*, *Nego. Dist. min.* actio intellectus agentis non est intellectio *formaliter*, *Conc.* non est intellectio *efficienter*, *Nego. Nego conseq.* In eodem ordine debent principiis passivis respondere principia activa.

**Obiect. 5ª.** Potentia intellectiva esse debet unica. Sed admisso intellectu agente, haberemus in homine duplicem potentiam intellectivam. Ergo non datur intellectus agens.

**Resp.** *Dist. mai.* In eo ente intellectivo, cuius intellectus est semper in actu suorum intelligibilium, *Conc.* In eo ente, cuius intellectus est

in pura potentia ad sua intelligibilia, *Nego*. Nam sufficit ut sit unitas coordinationis nempe concurrendi suo modo ad ultimum terminum intellectionis producendum (cfr. n. 181.).

**Obiect. 6ª.** Intellectus agens est *sua actio*. Sed quod est *sua actio* semper agit: hoc autem non verificatur de intellectu nostro. Ergo non habemus intellectum agentem.

**Resp.** *Dist. mai.* Intellectus agens dicitur *sua actio per concomitantiam, Conc. per essentiam, Nego,* quia hoc est solius Dei. *Conc. min. Nego cons.* « Cum dicitur, quod intellectus agens est sua actio, est « praedicatio *non per essentiam sed per concomitantiam;* quia cum sit « in actu eius substantia, statim quantum est in se, concomitatur « ipsam actio: quod non est de intellectu possibili, quia non habet « actiones nisi postquam fuerit factus in actu (1).

**Obiect. 7ª.** Intellectus agens indiget determinari ab extrinseco. Ergo alia vis ponenda est determinans intellectum agentem. Quapropter ne procedamus in infinitum, praestat negare existentiam intellectus agentis.

**Resp.** *Dist. antec.* Intellectus agens indiget determinari ab extrinseco, tamquam *a materia actus, Conc.* tamquam *a motore potentiae, Nego et nego cons.* Activae potentiae a passivis non discriminantur in eo, quod activae potentiae operari valeant sine ullo obiecto, passivae non valeant; sed discriminantur in eo quod obiectum expostulatur ab activis potentiis, ut moveatur ab eis, seu *ut materia actus;* a passivis, ut moveat eas, *seu ut motor potentiae.* « Haec est differentia inter vir- « tutes activas et passivas: quod passivae non possunt exire in actum « propriae operationis, nisi moveantur a suis activis, sicut sensus non « sentit nisi moveatur a sensibili, sed virtutes activae possunt operari « sine hoc quod ab aliquo moveantur, sicut patet in viribus animae « vegetabilis » (2).

**Obiect. 8ª.** Fortasse intellectus possibilis determinatur non a specie impressa, quae sit similitudo abstracta rei materialis, sed a quadam alia determinatione. Ergo non necessario ponitur intellectus agens.

**Resp.** Etiamsi permitteretur antecedens, negandum esset consequens. Nam quaecumque sit determinatio causanda in intellectu possibili, ea connaturaliter causari deberet a virtute immateriali activa ipsius animae. Caeterum *negatur antecedens.* Nam omnis cognitio in assimilatione intentionali consistit, cuius principium *formaliter* determinans esse debet aliqua similitudo rei. Secus impossibile esset intellectui possibili producere verbum repraesentativum potius unius rei, quam alterius (cfr. n. 134.).

**Instabis.** Species impressa esset in nostra sententia repraesentatio

(1) 1. p. q. 54. a. 1. ad 1.
(2) S. Th. in Boet. de Trinit. q. 1. a. 1.



intentionalis obiecti et tamen non esset cognitio. Atqui omnis repraesentatio intentionalis esse debet cognitio. Ergo perperam a nobis ponitur species impressa in nostro intellectu.

**Resp.** *Dist. mai.* Species impressa esset repraesentatio rei et tamen non esset *cognitio in actu secundo, Conc.* non esset cognitio *in actu primo,* videlicet ultima dispositio potentiae ad producendum verbum, *Nego. Dist. min.* quaelibet repraesentatio iutentionalis debet esse cognitio vel *in actu primo* vel *in actu secundo, Conc.* tantum *in actu secundo, Nego. Nego conseq.*

**Obiect. 9ª.** Species intelligibilis apud Scholasticos realiter distinguitur ab intellectu. Ergo est quaedam res ab intellectu distincta. Atqui si ita est, ipsa esset primum cognitum ab intellectu; quod a Scholasticis non admittitur. Ergo frustra ponitur.

**Resp.** *Dist. antec.* Species intelligibilis distinguitur ab intellectu ut actus a potentia determinata per ipsam, *Conc.* distinguitur ut ens completum ab ente completo, *Nego. Reliqua negantur.* Species impressa in intellectu possibili constituit cum eo unicum principium adaequatum operationis, et ideo ab intellectu informato distinguitur *inadaequate* ut quaelibet pars sive formalis, sive materialis, sive integralis distinguitur *inadaequate* a suo toto.

Animadverte speciem intelligibilem non esse id quod intelligitur, sed speciem impressam esse id *quo* intellectus determinatur ad aliquid intelligendum, speciem autem expressam esse id *in quo* intellectus rem intelligit. Attamen, quum intellectus possit reflectere supra proprium actum, species expressa potest esse etiam *id quod secundario* intellectus intelligit. Sed id quod intelligitur primo est res exterior cuius quidditatis species intelligibilis est similitudo (1).

## THESIS LII.

**Intellectus noster in praesenti statu nequit actu intelligere ea, quorum scientiam habet, absque concursu phantasmatum** (1).

### PROBATUR.

186. Summa argumentorum haec est: 1° *Experientia.* Nam *a)* phrenetici et lethargici nequeunt uti scientiis acquisitis; *b)* nos cum volumus aliquid intelligere vel alios docere, utimur aliqua imagine sensibili, saltem phantasmate vocabuli rem significantis. 2° *Modus operandi consequens unionem substantialem animae cum corpore.* Nam *a)* modus

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 85. a. 2.
(2) Cfr. S. Th. 1. p. q. 84. aa. 7. 8.

operandi sequitur modum essendi. Quum igitur anima intellectiva constituat cum materia unicum ens corporeum, necesse est ut ipsa operatio intellectiva habeat aliquam dependentiam a corpore. Sed non potest hanc habere quoad ipsam essentiam operationis, quae esse debet prorsus immaterialis. Ergo quoad *modum operandi* nempe dependenter a concursu instrumentali phantasmatis. *b)* Quidditas rei materialis est obiectum proprium humani intellectus, qui eo mediante ordinatur ad veritatem assequendam. Atqui de ratione quidditatis materialis est, ut individuata existat a parte rei. Ergo ad hoc ut intellectus *verum conceptum* de re acquirat, atque ut recte iudicet de rebus sensibilibus et per harum analogias etiam de suprasensibilibus speculare debet naturam universalem in particulari existentem, quod efficere nequit absque conversione ad phantasmata.

**Corollarium.** Ideo iudicium intellectuale fallitur ligato sensu, ut contingit in dormientibus, quia resolvere nequit id, quod iudicat, in particulare sensibile. Quapropter ii, qui suas doctrinas inconsultis sensibus concinnant, de omnibus a priori iudicando, in plurimos labuntur errores. Huiusmodi sunt Transcendentalistae et Ontologi. Quare mirum non est si Fichtius suas conclusiones somniis comparaverit.

## THESIS LIII.

**Memoria intellectiva, ratio et intellectus possibilis non sunt diversae potentiae.**

### PRAENOTIONES.

187. I. **Intellectus quatenus intellectus** importat facultatem immediate perceptivam quidditatis rerum et convenientiae praedicati cum subiecto; quare dici solet *facultas* vel *habitus principiorum*.

II. **Ratio quatenus ratio** importat facultatem per ratiocinium procedentem ex una veritate cognita in aliam; quare solet dici *facultas* vel *habitus conclusionum*.

III. **Memoria intellectiva** importat facultatem retentivam et reproductivam specierum intellectualium; unde dici solet *thesaurus conservativus specierum* et definitur, approbante S. Thoma (1): *Vis qua mens nostra retinere potest species intelligibiles post actualem considerationem*.

(1) QQ. dd. de Verit. q. 10. a. 2.



### DEMONSTRATUR.

188. Quum potentiae diversificentur secundum diversas rationes obiectorum, non potest alia realis diversitas inveniri in potentiis, quae habent pro obiecto universalissimam rationem entis quatenus cognoscibile est, nisi quatenus una se habeat ut *activa*, alia ut *passiva* relate ad idem obiectum, quia actus et potentia sunt primo opposita. Atqui *intellectus possibilis*, *ratio* et *memoria intellectiva* non se habent ad invicem ut *activa* et *passiva* relate ad idem obiectum, sed intellectus possibilis se habet ut receptivus, memoria autem ut conservativa earumdem specierum; porro ad rationem potentiae passivae pertinet conservare sicut et recipere: ratiocinari autem comparatur ad intelligere, sicut moveri ad quiescere, vel acquirere ad habere, quae in ipsis rebus materialibus reducuntur ad eamdem potentiam. Ergo exceptis intellectu agente et possibili, quae se habent ad invicem ut activum ad passivum non datur alia realis distinctio inter facultates cognoscitivas intellectuales animae humanae.

**Nota.** Argumentum allatum valet etiam pro excludenda reali distinctione inter rationem superiorem et inferiorem, intelligentiam et intellectum, intellectum speculativum et practicum etc... Qui peculiarem demonstrationem de singulis cuperet, conferat S. Thomam l. c. art. 9. et seqq.

# QUAESTIO XXVI.

## DE POTENTIIS APPETITIVIS IN COMMUNI.

## THESIS LIV.

**Pro duplici genere cognitionis quod habetur in anima humana, *a)* duplex genus potentiae appetitivae in ea admittendum est, nempe sensitivum et rationale; ita tamen ut *b)* sensitivum in duas potentias distinctas, concupiscibilem et irascibilem, dividatur; *c)* rationale vero sit unica potentia quae vocatur voluntas** (1).

### PRAENOTIONES.

189. I. **Appetitus** *est tendentia in bonum conveniens*. Quum enim omnia tendant in bonum sibi conveniens: *bonum enim est id, quod omnia appetunt*, huiusmodi tendentia dicitur *appetitus*.

II. **Appetitus naturalis et appetitus elicitus.** *Tendentia* seu *inclinatio*

(1) Cfr. S. Th. 1. p. qq. 80. 81.